

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Matronae munificentissimae Dorotheae Friedericae
Lucretiae de Pelcke, natae de Bernhold in Eschau, ...
parentabunt ... cives ...**

Sachs, Johann Christian

Carolsruhae, 1769

"Adjungenda his generosissima Domina [...]"

[urn:nbn:de:bsz:31-116002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116002)

Ita contigit Pforzhemio, quod haud ulli patriae nostrae urbi aut oppido contigisse novimus, ut praeter litterarum restauratorem REUCHLINUM, quem ob incredibilem ingenii magnitudinem praeclaramque eruditionem ac doctrinam Europa observavit universa, tot haberet, quos memoravimus, viros, qui studiosam juventutem, ut Capnionem suam, nisi assequi possent, certe graviter persequerentur, et consiliis monuerunt et re sua stimulare.

Fuere tamen etiam alibi locorum in patria nostra, qui, ut erigerent juvenes ad virtutis gloriam, et ad litterarum honorem extollerent, non minori studio ac liberalitate contenderunt. Laedere profecto videremur manes FELDERI, qui Serenissimo ERNESTO FRIDERICO a concionibus aulae fuit et supremus sacrorum antistes; et BEYERBECCII, nisi insignem eorum beneficentiam, qua juvenes nostri adhuc fruuntur, gratissima mente, pro eo ac decet, recoleremus. FELDERVS, cum Principem suum in musis fovendis ornandisque videret totum, et ipse singulari musarum amore flagraret, mille florenos posteritati suae litterarum studiosae legavit. BEYERBECCIUS, ob muneris rationem, (fuit enim in Illustrissimo Gymnasio rei familiaris administrator,) in alendis, nutriendis, curandis duodecim illis, quos ERNESTVS FRIDERICVS ordinaverat, alumnis occupatus, numerum eorum bis mille florenorum legato adauxit.

Adjungenda his generosissima Domina CHRISTIANA SOPHIA FRIDERICA, generosissimi C. F. Lib. Bar. de GÜTLING Concilii ordinis S. R. I. equestris ad Nicrum et in Silva Nigra, consilarii vidua, nata de Vahrenbühler, ante biennium

CXVI. con-
e suae bene
nis quidam
s juvaretur.
mentionem

IOANNES
ndelicorum,
RI DEIM-
ibus fausta
quod supra
nos misere,
Mille his
ut floreni
 custodia tra-
Deimlingio
o libros et
ntur. Tri-
udiofo vel
ous, expen-
ribus orbae
unt paupe-

Ica



Durlaci placida morte defuncta. Extant beatae hujus matronae ingentia in civitatem Durlacensem ejusque Ecclesiam merita. Sed multum quoque ei gratiae debere se fatetur Gymnasium nostrum, cui trecentos triginta tres florenos testamento donavit.

Nec praetereundi silentio, qui, ut agricolarum et rusticorum mores emollirentur, animique ad vitam christiano homine dignam liberalius informarentur, iis, qui scholis ruri praesunt, optime prospexerunt.

Qua in re, ut in permultis aliis, venerationem perpetuam ac gratiam meretur memoria Perillustris quondam CONRADI DIETERICI STADELMANNI, qui Serenissimae Domui Bada-Durlacensi per longam annorum seriem a consiliis sanctioribus fuit, vir antiqua virtute ac fide, miranda mentis aequabilitate, singulari prudentia, integritate, veritatis studio, atque in ipsa morte, quam A. MDCCXLIV. obiit, constantia. Ut publico semper bono ac commodo studuit: ita, quam aerumnosam, quam famelicam vitam vivant multi, qui in erudienda agrestium hominum juventute desudant, quantopere saepe inter molestissimos pulverulentae scholae labores fame, siti, inopia conflictentur, humane ac pie recordatus, bis mille florenos testamento legavit, quorum usura duorum ludi magistrorum salarium gracile atque exiguum quotannis augendum. Fruuntur hodie beneficentia illa vici Praefecturae Durlacensis Aua et Wolfartsweilera. Utinam plures existant, qui tali liberalitate, summorum virorum personis dignissima, se patriae nostrae commendent. Non tamen omnino desunt.

Bri-